

uel uxor eius, nisi dominus ascendentis sit in trino, uel sextili, cum domino septimæ, uel in alijs etiam aspectibus cum receptione. Estq; hoc experimentum certissimum.

Saturnus, Mars, & Sol, mali sunt in secunda, & peius erit domino secundæ domui combusto cum damnatione partis fortunæ, nam ostendunt pecuniarum profigationem & exilium, uel confiscationem bonorum, id expertum habeo sæpius.

Gradus Zodiaci qui cooritur cum Luna, si fortunatus fuerit, significat bonum toto tempore uitæ.

Luna & Saturnus in duodecima domo in Aquario, uel eius triplicitate, & Sol in sexta, Iupiter in octaua, significant incommoda paupertatis.

Venus in Medio cœli in trino Iouis, uel illi iuncta, remota à malorum aspectu, adducet diuitias femininarum causa, uel ex operibus fœmineis, uel ex musica.

Si fuerint Venus, Luna, & Caput in quarta, natus erit Astrologus, & inde multam substantiam congregabit.

Si fuerit dominus undecimæ in ascendente, & dominus duodecimæ in septima, natus erit in pueritia diues, & in senio pauper. Si dominus huius fuerit in septima, & dominus duodecimæ in ascendente, dic contrarium.

Dominus secundæ combustus, & dominus partis fortunæ male dispositus, extremam paupertatem indicant.

Dominus secundæ domus in opposito uel quadrato ascendentis, si se non receperint, aut quòd sint contrarij in naturis, natus erit destructor suæ substantiæ. Si autem aspexerint se cum receptione, & non sint naturæ contrariæ, natus erit parcus diligens in acquisitione pecuniarum, sed non erit alicui utilitas ex ipsius substantia.

Si dominus secundæ in aliquo signo est, quod in angulo sit, ipse tamen ab angulis cadens, natus habebit famam quod diues sit, sed ipse profundet pecunias, & erit pauper.

Dominus ascendentis bene fortunatus, & dominus secundæ male, significat paucas diuitias, & erit anxius in illis adipiscendis.

Pars fortunæ in sexta uel duodecima, significat substantiæ dissipationem, uel turpem ægritudinem, propter quam fugiet à loco suo.

Si dominus ascendentis in secunda domo infortunatus fuerit, destruet proprie uelle substantiam suam. Si uero ibi sit planeta infortunatus, qui non sit dominus ascendentis eripietur ei per furtum uel per uim.

Virgo ascendens & Mercurius boni esse, uel saltem non infortunatus, significat natum fortunatum in medicinis. Sed in lucro & solario causa medicinæ infortunatum.

Si Sol dominus tertię combusserit dominum secundæ domus, aut partem substantiæ natus perdet substantiam occasione fratrum, & soluet pro eis amissiones & damna multa.

Luna cum Marte in tertia domo, significat natum lucri cupidum, alieni auidum, malumq; & illatorem iniuriarum.

Si fuerit Luna in undecima in die, natus non habebit quicquam de substantia parentum.

Dominus secundæ domus in ascendente, uel si dominus secundæ domus derit, uim suam domino ascendentis, & non sit cadens, significat lucrum absq; labore. Si contra, dic contrarium.

Si Iupiter in radice angularis fuerit, uel in honore suo, uel si uim habuerit in ascendente, uel aspexerit partem fortunæ, uel sit dominus domus Solis in die, uel dominus domus Lunæ in nocte, non derit nato census in uita sua.

Si dominus ascendentis aspicit dominum substantiæ, uel suam domum, uel partem fortunæ inimico aspectu, destruet natus substantiam manu sua propria.

Si Satur-